Erdr.

HONOS-ONUS

ADMODUM REVERENDO DOMINO,

STANISLAO SCZYGIELSKI,

PRÆPOSITO TUCHOVIENSI,
Ordinis Sancti BENEDICTI,

Circa primum ad Præposituram Tuchouiensem ingressum,

A

P. CANDIDO ZALESKI
Profes. Sieciechouiensi, Ordinis Sancti BENEDICTI
officiosè exhibitus.

Fructus honos oneris fructus honoris onus. Ouid.

Superiorum permissu.

CRACOVIÆ,
Ex Typographia, Alberti Siekielowic, S. R. M. Typog.
Anno Domini, M. DC. LXIII.

Admodum Rndo & Rel. in CHRISTO Patri ac Domino,

STANISLAO SCZYGIELSKI,

Præp. Tuchouienſi Ordinis Sancti Benedicti.

P. CANDIDVS ZALESKI,

eiuſdem Ordinis, ſuæque Paternitatis Amitinus frater, Prof. Sieciechouienſis.

Obſequiorum cultum & debitam apprecationem D.

R*Egula eſt Iuris Naturalis, quæ docet,* Debere ſentire onera qui honore fruitur: *debereq́; qui ad dignitatem promouetur, ſcire, nullam carere adnexis grauaminibus, quæ tolerare neceſſarium ſit. Hanc eandem ſententiam Bonifacius VIII. canoniſauit, & in Pontificij Iuris Sextum transferens pronuntiauit hanc legem, videlicet.* Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & è contra. *Reg. 55. in Sext. Patet igitur D.V. omnia acceptaſſe Præpoſiti Regularis grauamina, cum Dignitatem admiſit: ad quam Virtus Te Tua promouit, applauſerunt vota prudentum, Numinis Prouidentia deſtinauit. In cuius fauſto acceſſu, ego quoque opportunam gratulandi & animi mei addictiſſimi erga D. V. teſtificandi nactus ſum occaſionem; atque hoc Alloquium de Prælati oneribus, tum Hexaſticha de ferendis petulantium ſuſurris ſimpliciter à me collecta ſcriptaque, intra limina iam laureata Tuchouienſis Præpoſituræ, ne affectus meus eò veniſſe dicatur vacuus, Donum & Gratulationem importo. Exiguum id quidem ingenij mei & ſtudij exemplar, mentis tamen venerabundæ fidele indicium. Hoc itaque Paterno animo ſuſcipe meque vt aſſoles patrocinio gratia Tuæ dignare. Ex Monaſt. Sieciechou. A. 1663. xjj. Cal. April.*

VOTVM.

Viue diu, ſed viue Deo, tolerando labora,
E terrâ cælum poſt & habere potes.
Iſta Tibi faciat IESVS, *tum MATER* IESV.
TVCHOVIÆ ſemper fida Patrona Tua.

HONOS-ONVS

QVanquam eximia Tua A. R. D. Præposite, dignitas, eruditio, ingenuitas, atque præstantia, sub hæc gratulationis auspicia, nouum me Oratorem à dicendo deterret; nusquam tamen, neque honorificentius, quam in hoc bonorum gaudio: neque alacriùs, quam in hac occasione læta: neque augustiùs, quàm in hoc nouo Honoris Tui accessu, versari me posse perspicio. Enimuerò non tam mihi timere, vereri, ac formidare, quam Tynecensi Congregationi amplissimæ, & Sacrato Benedictino Ordini, gaudere, lætari, atque ex animo gratulari summoperè decet. Cùm enim tot in illo Tynecensi ArchiCœnobio grauissimos Capituli sciam esse Patres, in quibus si prudentiam spectem, consultissimi; si sapientiam & eruditionem, ornatissimi; si deuotionem & pietatem Religiosissimi; Quamobrem fatendum est, eos ad pertractanda Tuchouiensis Præpositura gubernacula Te collocasse Moderatorem eiusmodi, qui leges religionis pro virili corroborabis, officij impositi rationes explebis, ac regularem viuendi morem satages propagare: Te Duce cursum temperante ac prudentissimè dirigente, loci illius felicitas, atq; prosperitas, ad immortalitatem gloriæ efferetur? Nec dubitandum est, quin Spiritus ille Diuinus flagrantissimus & ardentissimus Paracletus, in cuius manu omnium sunt corda mortalium, in sinum eorum tunc delapsus, Religiosissimæ Electioni cùm Te ad hoc munus deputarent, præfuerit, & consultantium laudabili quodam fœdere, voluntates consociârit, afflârit mentes, votis occurrerit, præcordia inflammârit, sententias saniores insinuârit, consilia ad recti normam direxerit, pectora ad sanctitatem informârit, ad pietatem sensus inflexerit, eorumque vota, desideria, atque suffragia tanquam Supremus Arbiter efficacissimè fue-

rit moderatus. Verùm vt hanc arduam & reuera perdifficilem, ita quoque honorificam delati muneris prouinciam Tibi A. R. D. gratulari videar; HONORIS impositi ONVS, ceu quoddam simulacrum excitare consilium est mihi, vt ad hoc apertum Patientiæ gymnasium ingenium Tuum tractes, mentem effingas, animumque confirmes.

Ac principio grauis eluctandus scopulus venit Tibi A. R. D. vt inuidentiam, quæ alienæ existimationi insidiatur & gloriæ; quæ in hoc tota est, vt alterius famam, siue nascentem perimat, siue crescentem eluctetur, siue communiter omnium prouectam suffragijs ad honoris culmen dignitatisque fastigium, deijciat, deturbet, atque pessumdet; æqua moderatione animi perferens patiaris. Hæc enim Deo odiosa, & hominibus execranda concertatio, in Apostolicum Senatum dùm audacter inuaserat, cum quisque Sanctissimorum Procerum maiori dignitatis amplitudine ornari, atque eminentiori prærogatiuâ decorari, inuicem desideraret: quidni? alicuius de cœtu claustrali vrat præcordia, qui ad maiora se potiorem ducens, velit, etiam luci cymmerias inuehere noctes, ne vel clarissima alicuius merita dispiciantur, ac æquâ lance iustaque trutinâ ponderentur vel præmientur.

Iam verò perpende quæso recolasque tecum, quanti laboris sit in aliquo negotio præponi; quàm non sit procliue alios regere & moderari, suoque arbitrio fingere & tractare? Hic quotidianâ vt ita loquar pugnâ, altercatione, & contentione perdifficili cum humanâ voluntate vt plurimum perduelli ac renitente luctandum est. Quo nam [bone Deus] Herculis biuio quandoque deprehenditur Moderator, quàm crebro ancipiti consilio tanquam in æstibus atque Eurypis laborat, & vsque ad sanguineum sudorem interdum exæstuat? Enimuero si aculeos exerit seueritatis, præcipitem illico subditi cursum explicant: si lenitate verborum, insolescentes atque corruptos mulcet mores, ferociùs gestiunt: si verò mitem ac mansuetum se geret? despicietur, contemnetur, ac negligetur. Sagaciore prudentiâ aliorum vestigijs insistere atque inhærere curabit, supersti-

tiosæ

ctiosæ nimis suspicioni seruire dicetur. conniuebit; oculos animumque à maleficijs auocabit; negligentis contrahet notam. acrius animum aduertet? tanquam ferum auersati, abominati, & execrati, crudeliores atque efferatiores in eum subditi inuehentur. Dissimulatione quadam vitijs ac sceleribus licentiam præbebit & effrænibus quorundam voluntatibus laxabit habenas? palam volitabit insolentia ac petulantia nullis legum retinaculis coercita, nullis prorsus disciplinæ regularis vinculis cohibita & irretita. Cum omnibus affabili quadam societate honorem ac dignitatem communicabit? erit contemptui ac despicientiæ, iuxta illud veracissimum assertum Nimia familiaritas parit contemptum. Recedet identidem ac solitudini nonnunquam vacabit? tanquam vnum è remotissimis ac abditissimis extractum syluis nemoribus & saltibus rudem, agrestem ac rusticanum hominem, nullà prorsus humanitatis culturà præditum; nullo vrbanitatis lepore perpolitum arbitrabuntur. Si prælationis Onus sustineat opprimetur & succumbet; si reijciat infirmitatis erit, & imbecillitatis; si destituat? perfidiæ vtique ac neglectui adscribetur.

Quantæ itaque & quam validæ Prudentiæ vires Superiori adhibendæ sint, quomodo regendi exitus, explorandi progressus, prætexendæ cupiditatibus sepes, intercludendi flagitijs aditus, perpende tecum quæso. Denique concertare & in eodem dimicare debet, cum dignitate modestia, humanitas cum maiestate, cum seueritate comitas, cum æquitate benignitas, atque clementia: vno verbo cuncta complectar, omne feret punctum, aliquis Præpositus suffragijs Religiosorum constitutus, si sedulam tranquillitatem atque operosam quietem assequatur, ac diuinæ mentis prouidentiam rerum omnium artificem ac molitricem nauiter imitetur, quæ admirabili quadam atque humanitùs incredibili suauitate disponens omnia fortiter & efficaciter ad finem vsque cuncta perducit.

Et certè nimis prudenter oris aurei Doctor, Chrisostomus, Prælatum quemque cum Nauis Rectore autumat conferendum.

Finge Tibi [inquit ille] animoque comprehende inter fluctus ponticos æquoreosque vortices formidabiles præfectum Nauis Nauarchum, mirum certè dictu atque incomprehensibile cogitatu, quàm cautè quàm solerter quàm vigilantibus oculis animisque in opus intenditur? explicatam inprimis Nauigationis tabulam perpendit, considerat, spectat assiduè, borealem sibi stellam nunquam sinit obnubi, aeris motus mutationesque ventorum explorat diligentissimè, iubet colligi vela aut obliquari, intendi rudentes aut remitti, erigi malum, vbi tempestas ingruit, nonnunquam exonerari nauigium: vitat Syrtes, præterit scopulos, elidit, reijcit & confringit fluctus Decumanos, ad nauis latus opportunè atque ex industria oppositum placidas ventorum auras prouidus excipit; non fidit malaciæ, in tempestatibus vigilat, semper facit excubias, somnum capit sed obiter; abstinet se à cibo potuque, non semel arduis ac serijs nauigandi curis abreptus, vno verbo dicam, diligentia ipsa & nauitate videtur certè Nauclerus desideratum præoccupare iam portum. Itaque si tanta Nauarchi est inter nauigandum industria, labor tantus, tanta contentio; quantò diligentius Religiosæ Domus Moderator, suo oneri ferendo nauare operam debet, prouidere difficultates, internoscere pericula, commoda vel incommoda penetrare consiliorum, tenere prosperos, faustos ac felices exitus negotiorum? sit oportet corde magnanimus, iudicio maturus, solertia viuidus, in sentiendo rectus, in deliberando prudens, cautus in agendo, ad decernendum expeditus, efficax imò efficacissimus ad exequendum. Hæccine A. R. D. Præposite, agilia sunt? faciliane Tibi videntur? ô quot labores exhauriendi sunt! quot subeunda discrimina! quot pericula superanda! quot difficultates sorbendæ? quot extricandi nodi? quot tenebræ densissimæ dissipandæ? quot dissensionum procellæ simultatum ac turbarum innumerabilium tempestates sedandæ? An Te fugit, an Te latet, arduum omnino ac perdifficile iudicari, alijs præponi simul ac sibi? altius inter Fratres occupare fastigium, neque dubiam aut ambiguam nutare constantiam? secun-

dis

dis acclamationum veluti fluctibus abripi, modestiæque tanquam Cynosuræ ductum sequi; publico efferri plausu atque auream seruare mediocritatem?

Quid quod Vita hominum ob pugnas multiplicis conflictûs cùm planè Militia sit; tum vero instructis agminibus seu militaribus benè ordinatis aciebus, similem esse Religiosorum hominum Congregationem nemo est qui non videat; quæ vel in vmbra coronas, trophæa, & triumphos, victorias, & tripudia hilariter meditatur, vel prodit in Solem ad prælia Domini viriliter prælianda. An non igitur, istiusmodi cœtûs Præses, Imperatoris personam vicesque sustinebit, qui tànquam, dignitatis è speculâ, occultas retegat insidias, hostiles eludat impressiones, inimicas euadat incursiones, hostemque per cuniculos grassantem extemplò depellat, & reprimat, suis deniquè assiduis lucubrationibus & laboribus subditorum otium, suisque excubijs atque vigilijs, aliorum somnos defendat ac tueatur.

Verùm quid Documenta Moderatoris boni prorsus superfluâ Orationis serie Tibi commemorem? Percurristi credo A. R. D. cogitatione Tuâ præceptiones, decreta, optimas leges, officij iniuncti rationes, iussa prudentiæ, quæ ritè præscripta & inculcata multoties, Sanctissimus Deoque acceptissimus Patriarcha Noster BENEDICTVS, absolutissimum Christianæ religionis ac religiosæ perfectionis exemplar, Filijs suis descripta reliquit, in quibus ad vnguem expressam atque ad amussim delineatam optimi & sapientissimi Præpositi effigiem intueri licebit.

Quæ cùm ita sint; vtere sorte Tua A. R. D. Præposite, & Spartam quam nactus es orna. Tu enim in mediâ piorum & eruditorum hominum luce atque coronâ, [quemadmodum accensâ Diogenes faculâ, meridianâ sub luce, in plenissimo Atheniensium foro, hominem inter homines quondam diligentissimè quæritabat,] studiosè inuestigatus es atque deprehensus; ad id sanè onus, prudenter designatus atque electus, cui par ferendo Tua ingenij dexteritate existis. Ad id Te vota & suffragia optimorum quorumque trahebant, ad id Virtus suis radijs

qui

qui clarissimi & lucidissimi sunt, alliciebat, ad id genius suffragatorum inclinabat. Illa itaque Virtutis meritorumque inimica, si quæ occurrerit, inuidentia, nil Te remoretur, nil perturbet suadeo; halitu suo nil vitiabit illa, neque vnquam toruis ac venenatis tanquam malefica oculis, herbescentem Tuæ gloriæ viriditatem exsiccabit. Verè quidem Plutarchus docuit Magister optimus morum, in eadem fabula partes agere tanquam Antagonistas, Meritum & Inuidentiam, ijsdem planè limitibus seiungi ad inuicem, eodemque patrimonio sustentari; Tu tamen meliore fato ad id honoris euectus, virtute Tua irrumpe iniquitatem, causam Religionis, ne vel deturbetur vel à statu concidat, age: suscipe obseruantiæ studium, strenuissimeque Sacri ornamenta defende Ordinis; vt eum Te agnoscant omnes & fateantur tandem, à quo Sacer Ordo, tanquam inconcusso Atlantis humero, fulciri diu possit ac sustentari.

D I X I.

Resumo animum rursus, & quæ Præpositorum solutâ recensui Oratione grauamina, eadem Elegiaco persequor metro, & Hexastichis vrgeo; quod sine fastidioso Tautologiæ vitio, me fecisse existimo, cùm rei vehementioris iterata variatio, haud ingrata subinde habeatur.

HONOS

HONOS - ONVS PRÆPOSITORVM.

PRælati ô cidaris, Monachis incognita multis!
O paruo summus tectus honore labor!
Cura ô difficilis! crebro exitiale grauamen,
Melle ô conditum virus! inane chaos!
Quidlibet efficiat Prælatus quilibet errat,
Omnia dente fero corripit Inuidia
Adnuit? est facilis. Differt? est ipse morosus
Hæret? difficilis. Discutit? est nimius.
Si dormit fiditque alijs, incurius ipse est,
Si tamen inuigilet irrequietus erit.
Si carpit vitium, crudelis dicitur: & si
Dissimulat, mollis; si tegit, insipiens.
Laudat? adulatur. Tacet? inuidet. omnia lustrat?
Suspiciosus erit. Nil videt? est stupidus.
Distribuit cunctis æqualiter omnia Præses?
Est indiscretus, iudicioque caret.
Si minus is sano, si plus largitur egeno
Vtrique insipiens, alteri auarus erit
Barbarus asseritur, si non curauit amicos;
Si curat, scripto milite schisma parat.
Si est grauis, est oneri, imò dicitur esse superbus
Si est dulcis, leuis est; & grauitate carens.
Suauia cum loquitur? vendit. cùmque aspera? sæuit,
Dum monet, est audax. cum tacet, est timidus.
Si sibi sit rigidus, magnus prætendit haberi;
Si minus obseruans, relligione caret.
Ergo vt tranquille contingat viuere; Salue
Deliciosa quies, dura corona, Vale.

HONOS -- ONVS PRÆPOSITORVM.

ad suauiores redact. numeros.

O Prælati onus graue
Quisquis ambis, Tibi caue,
Ne Te pondus opprimat;
Cum vel ipsos id Gygantes
Fortiores quam Atlantes
Mole suâ perimat.
Audi semel de tortura
Quam occultat Prælatura
Hæc pauca quæ defleo.
Nam de damnis animorum
Quæ vix vllus Prælatorum
Planè vitat, sileo.
Est Prælatus, non Prælatus
Sed, [sic dicam] est Post-latus
Vel potè mancipium.
Quem, ni Deum purè quærit
Nihil iuuat, imò lædit
Impensum obsequium
Dicat, agat, quanta potest,
Et impendat, quicquid prodest
Vt absit obloquium.
Vel in vno si defecit
Nil valebunt quæque fecit
Reus erit omnium.

Durus

Durus audit, si insistit.
Nimis lenis, si remittit:
O genus supplicij!
Dormit? Reus est neglectus.
Est-ne Vigil? est suspectus
Sinistri iudicij.
Indiscretus proclamatur
Si quoscunque metiatur
Vno semper pondere.
Partialis, si soletur
Quenquam magis, vt videtur
Charitas exposcere
Si condonat; timorosus
Erit autem rigorosus,
Si mendosa corrigit,
Est auarus, si frugalis,
Sin è contra, liberalis,
Claustri bona prodigit
Leuem dicunt gratiosum,
Despectorem & morosum
Si se grauem præbeat.
Legum tenax accusatur,
Quod honores aucupatur,
Præsul esse studeat.
Est seuerus? condemnatur,
Est suauis? adulatur,
Venditque blandicias
Quicquid bibit, quicquid edit
Raras turba Fratrum credit
Has esse delicias.
Si nitatur mente rectâ
Promouere quæ perfecta
Imperfecti imminent.

Et

Et ſi vt illis obſequatur,
Viâ laxâ gradiatur,
Perfecti non ſuſtinent.
Quis tam prudens hæc vitauit
Cum nec CHRISTVM liberauit
Diuâ Sapientia?
Quando namque nil haberent
Ius, & æquum, quod morderent,
Habebit Inuidia.
Si amicis ſe priuauit,
Væ, Abundat? coniurauit,
Quid miſellus faciat?
Ah! Quis onus hoc tremendum
Velis, remis, fugiendum
Niſi ſtultus ambiat.